

Documentum 9 — Exordium Ciceroniani dialogi *De amicitia* (excerpta).

Q. Mucius augur multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et jucunde solebat nec dubitare illum in omni sermone appellare sapientem ; ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam sumpta virili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem ; itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta memoriae mandabam fierique studebam ejus prudentia doctior.

Itaque tum Scaevola exposuit nobis sermonem Laeli de amicitia habitum ab illo secum et cum altero genero, C. Fannio Marci filio, paucis diebus post mortem Africani. Ejus disputationis sententias memoriae mandavi, quas hoc libro exposui arbitratu meo ; quasi enim ipsos induxi loquentes, ne « inquam » et « inquit » saepius interponeretur, atque ut tamquam a praesentibus coram haberri sermo videretur.

Genus autem hoc sermonum positum in hominum veterum auctoritate, et eorum illustrium, plus nescio quo pacto videtur habere gravitatis ; itaque ipse mea legens sic afficio interdum ut Catonem, non me loqui existimem.

Documentum 9 — Exordium Ciceroniani dialogi *De amicitia* (excerpta).

Q. Mucius augur multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et jucunde solebat nec dubitare illum in omni sermone appellare sapientem ; ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam sumpta virili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem ; itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta memoriae mandabam fierique studebam ejus prudentia doctior.

Itaque tum Scaevola exposuit nobis sermonem Laeli de amicitia habitum ab illo secum et cum altero genero, C. Fannio Marci filio, paucis diebus post mortem Africani. Ejus disputationis sententias memoriae mandavi, quas hoc libro exposui arbitratu meo ; quasi enim ipsos induxi loquentes, ne « inquam » et « inquit » saepius interponeretur, atque ut tamquam a praesentibus coram haberri sermo videretur.

Genus autem hoc sermonum positum in hominum veterum auctoritate, et eorum illustrium, plus nescio quo pacto videtur habere gravitatis ; itaque ipse mea legens sic afficio interdum ut Catonem, non me loqui existimem.